

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Nummotheca Principum Austriae**

ex gazis Aulae Caesareae potissimum instructa, & aliunde aucta, quae a prima aetate, qua in Austria cusa fuit moneta Sub Babenbergicae Stirpis Marchionibus, Ad Usque Habsburgicae Gentis Principes, Lineae Hispano-Austriacae, Huiusque Masculum Ultimum Carolum II. Regem Hispan.

Complectitur tabulas aeri incisas LI

**Herrgott, Marquart**

**Friburgi Brisgoviae, 1752**

[Text]

[urn:nbn:de:bsz:31-241470](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-241470)



Tab. XXXVII. paullo minor, figuræ præterea in postica inversæ; & quod IASON galeatus & caligatus appareat. *V. L. p. 497.*

XII.

ISABELLA. *D. ei G. ratia INFANS. HISP. anie D. ux BRAB. antie.* Effigies ISABELLÆ corona ornata.

*G: ctoir DV BVREAV DES FINANCES: 1599:* Scutum oblique positum, corona regia tectum, & in duas divisum partes; quarum altera vacua est, altera *Hispania* refert insignia.

Fortasse hic calculus cufus est, antequam matrimonium ALBERTI & ISABELLÆ consummatum esset; quia ISABELLA sola apparet, & sua quoque insignia, relicto interim spatio, quo & ALBERTI tesseris aliquando locus esset, tantum exhibet. *Ib. p. 511.*

XIII.

ELISABETA. *D. ei G. ratia INF. ans HISP. anie D. ux BVR. gundie BRA. bantie C. omes FL. andrie HOL. landia ZEL. andie.* Protome ISABELLÆ capite dextrorsum converso, quod pretiosis gemmis, quemadmodum & vestitus eius, ditissime exornatum est.

Quo anno nummus hic iconicus prodierit, ambiguum est. Circa annum tamen 1598. aut 99. cufum fuisse, cum ex titulis, quos ISABELLA tum assumpsit, tum ex similitudine cæterorum, qui hic ordine sequentes, iudice Clar. VAN LOONIO, huc referendi sunt, arguitur.

TOM. II. P. I.  
(a) Conf. num. XVII. hac tabula.

*M. Imp. ar. pond. semunc. T. H.* PROLES PHILIPPI II.

XIV.

ALBERT. *us D. ei G. ratia ARCHID. ux AVST. ria D. ux BVRG. undia BRA. bantie CO. mes FL. andrie HOL. landia zelandie.* Effigies ALBERTI ut num. X. Inferne sub brachio Archiducis dextro, nomen sculptoris legitur: CON. ELOC. *F. ecit*, nisi BLOC legendum, ut in nummo XVII. sequenti, ex D. VAN LOON educto.

ELISABETA. *D. ei G. ratia INF. ans HISP. anie D. ux BVR. gundie BRA. bantie CO. mes FL. andrie HOL. landia ZE landie.* Effigies ISABELLÆ ut num. præcedenti.

ALBERTO hos omnes honorum titulos per nuptias cum uxore obtigisse, cuius etiam nomine 1598. die XVIII. Aug. sacramentum fidei a Belgii Ordinibus *Bruxellis* exegerat, satis notum. Observamus præterea, neque Archiducem, neque eius coniugem, provinciarum fœderatarum titulos dimisisse, quamvis illæ iam dudum iugum excussissent. Possent hic nummus inter eos referri, quibus ALBERTI nuptiæ occasionem dederunt, & qui proinde anno 1599. fuerunt percussi. Namque inter nuptiales, quos ex VAN LOON (a) ad annum 1599. dedimus, fere similis huic occurrit. *M. Imp. ar. pond. i. unc.*

XV.

Nihil fere hic nummus a præcedenti differt. Omissum duntaxat est nomen artificis. In Z 2 aver-



PROLES PHILIPPI II. averſa ELIZABETA ſcribitur, cum in priori rectius ELISABETA legamus. Videtur autem tempore nuptiarum percuffus; quarum intuitu, cum Rex PHILIPPUS æquale utrique ius in Belgium conceſſiſſet, iisdem quoque titulis cum ſponſus, tum ſponſa utuntur, *M. Imp. ar. pond. ſemunc. 3. drach.*

## XVI.

ALBERTVS. D. *ei G. ratia* ARCHID. *ux AVST. ria* D. *ux BVR. gundia* BR. *abantia* C. *omes* FL. *andria.* Effigies Archiducis ut num. x.

ELISABETA. D. *ei G. ratia* INF. *ans* HISP. *ania* D. *ux BVR. gundia* BRA. *bantia* CO. *mes* FL. *andria.* Effigies ISABELLÆ fere cum præcedentibus convenit. Torque tamen hic conſpicua apparet, ſupraque pectus cruciculam geſtat.

Nihil eſt quod moneamus, Domus Auguſtæ prolem in Hiſpania *Infantes* ſolere appellari; quippe quod omnibus notum eſt. *M. Imp. ar. pond. ſemunc.*

## XVII. XVIII. XIX. XX.

Omnes hi nummi a præcedentibus fere nihil differunt; adeoque omnes eadem occasione prodiſſe veriſimile eſt.

ALBERTUS ubique torque aurei velleris conſpicuus cernitur, quam ei PHILIPPUS III. inter nuptiarum ſolemmitates, *Valentia* in Hiſpania magna pompa celebratas, contulit (a). *V. L. p. 511.*

(a) Hiſt. narrat. prof. ALB. & ISABELLÆ p. 100.

## XXI.

Tab. XXXVIII.

\*ALBERTVS. ET. ISABELLA. D: *ei G. ratia* COMITES. FLANDRIA. Capita averſa ALBERTI & ISABELLÆ pectore tenus. Sub iis dextræ iunctæ, matrimonii & concordie coniugalis ſymbolum ſunt. In poſtica ſcutum coronatum, leonem *Flandricum* refert, qui nummum ſeu calculum *Flandrorum* curatum fuiſſe indicat; quamquam adiecta manus expanſa eundem *Antverpiæ* fabrefactum fuiſſe doceat. *Ib.*

## XXII.

ALB. *erti* ET. ELISAB. *etha* D: *ei G. ratia* ARCH. *iducum* AVS. *trie* AVSPICIIIS (quæ vox in exergo legitur). Capita averſa amborum, ut num. præcedenti.

In ambitu averſæ reliqui tituli Archiducum continuantur: DVCES. BVRGVNDIÆ. BRABANTIÆ. *z. c. etera.* In area vero duo lauri rami, in ferti formam colligati, hæc verba complectuntur: MVNIFICENTIA PP (id eſt *Principum*) 1599.

Eſt hic nummus ex eorum numero, quos ALBERTUS & ISABELLA, novi Belgii Principes, regimen ſuum *auſpicantes*, cum celebriores urbes ſolemni pompa intraſſent, inſigni ubique ſplendore excepti, inter populum diſtribui iuſſerunt.

Sigillatim hoc anno *Lovanium* ingreſſi, fidem de ſervandis omnibus privilegiis Brabantie Ordinibus dederant; ſed & viciffim ab iis fidei ſacramentum

rece-



Tab. XXXVIII.

receperant, atque ita Brabantia sibi vindicaverant imperium.

Cl. VAN LOON in elegantissimo opere suo binos alios eiusdem argumenti designari curavit, quos cum magnitudine tantum discrepent, consulto omisimus. *M. Imp. ar. pond. 1. drach. & V. L. p. 522.*

XXIII.

ALBERTVS. ET. ISABELLA. ANNO 1600. Scutum coronatum, circumdatum torque aurei velleris, tesseras *Hispaniæ* præferens.

LIGAVIT. BELGICVM. (subintellige: *Leonem*) DEVS. ALBERTUS, aureo vellere & pileo Ducali conspicuus, dextra districtum gladium tenens, sed & præterea gladio præcinctus est. Adest & UXOR ISABELLA stolata & succincta, pileum Ducalem pariter in capite gestans, & sinistra manu ramum laureum cum ferto tenens. Ambo *Leonem Belgicum*, fune ligatum, una conducunt. Superius in nubibus, radios spargentibus, adhuc legitur: *IVBILA.*

Docet sine dubio hoc emblemata: nunc demum de Belgio legitime & feliciter fuisse constitutum, postquam PHILIPPUS II. filix & genero illud donaverat, qui nimirum supremi domini rebus ubique præsentis esse possint. Præter hoc excitantur Belgæ ad celebrandum annum sæcularem, cuius causa Summus Pontifex Generalem Ord. S. AUGUSTINI *Cornelium de RIE* cum litteris indulgentiarum ad

(a) Hist. Episcop. Ultrai. f. 433. citante Cl. VAN LOONIO.

eos miserat (a). Manus expansa, in superiori margine conspicua, nummum *Antverpiæ* cum sum docet, quod etiam in sequentibus nonnullis observare licet. *V. L. p. 526.*

PROLES PHILIPPI II. a

XXIV.

ALBERTVS ET. ELISAB. *etha* D: *ei G. ratia* ARCHI. DVCES. AVS. *triæ* B: *urgundia* CO. MITES FL. *andria.* Capita Archiducum ad pectus, obversis vultibus.

IVBELATE. DEO. IN. VNITATE. CORDIS. 1600. Ignitabulum ordinis aurei velleris, cui crux *Burgundica* immissa, cinctum parmis quatuor urbium, membrorum *Flandriæ.*

Nummi occasio & argumentum cum ex epigraphe averfæ, tum ex iis, quæ ad nummum proxime antecedentem dicta sunt, facile intelligitur. *Ib.*

XXV.

Ad annum 1599. supra num. XXII. iam dedimus huius generis nummum. Hoc solum discrimen intercedit, quod ille in *Brabantia* 1599. hic in *Flandria* 1600. fuerit percussus.

Ubique enim ALBERTUS & ISABELLA libertatis vestigia reliquerant: Ergo per *Flandriam* profecti *Gandavensi* populo congiarium dederunt. *Tornaci* pariter similes quidem nummos spargi iusserunt, quorum ectypa apud VAN LOON (b) profant. Quos *Duaci* distribuerunt, laudatus VAN LOON nusquam potuit reperire. *Artesi-* am hinc lustrantes inter *Atrebatenses*

b

(b) Loc. c. T. I. p. 529.



PROLES  
PHILIP-  
PI II.

*tenses* dividi huiusmodi nummos curarunt, quos sæpe laudatus auctor exhibet. *Ibid. pag. 527. 579. 530.*

## XXVI.

In antica nummi parte capita ALBERTI & ISABELLÆ iugata & serpenti, in gyrum convoluta, *æternitatis* videlicet symbolo, inclusa, cum lemmate: SIMVL ET SEMPER.

In postica sol & luna, illius luce collustrata, cernuntur, cum tesseris urbis *Bruxellensis*, in segmento positis, circum quas legitur: *ÆRARIVM BRUXELLENSE*, in qua proinde urbe nummus cufus fuit. Sol imago *mariti*, luna *uxoris* est emblemata.

Edidit hunc nummum Clar. LOCHNERUS anno 1742. subdubitat autem, num ille hos nostros Principes referat, nec ne? Et est sane dubitandi locus; cum ALBERTUS cæteris quidem in nummis constanter barbatus, hic vero imberbis sistatur. Verum cum imprimis certo constet, nummum in Belgio, & quidem in ea urbe, quæ Hispanis fidem semper servaverat, cufum fuisse, emblemata autem & perigraphe dictis Principibus, qui tum Belgio *simul & semper*, id est æquali hereditario iure, ut præessent, designati erant, ita conveniant, ut vix ac ne vix quidem alii convenire queant: præterea reliqua vultuum lineamenta a genuinis Principum imaginibus non omnino deflectant: clarissimi viri opinioni, donec me-

(a) KHEVENHÜLLER Annal. FERD. T. V.

liora edoceamur, stari posse visum est; cum barba aut incuria, aut aliis ex causis, nobis quidem incognitis, omitti potuerit. Denique inferius aliquot producemus nummos, in quibus PHILIPPUS III. Rex Hispaniæ imberbis exhibetur, quanquam tum barbam aluisse fatis constet. Videtur autem numisma ALBERTI & ISABELLÆ honoribus consecratum, cum ut novi Rectores & coniuges primo eam urbem intrarent. LOCHNER. *cit. an. 1742. p. 221.*

## XXVII.

In antica scutum coronatum, exhibens insignia Archiducis & Regis Hispaniæ, coniuncta. Additur perigraphe: ALBERTVS. ET. ELISABET. *ha d. ei GR. atia*, quam pars

Postica sic prosequitur: ARCHIDVCES. AVST. *ria* DVCES. BVR. *gundia* ET. BRABANTIE. Insignia urbis, *Silva Ducis* vocatæ, supra quæ epocha Christiana legitur: 1602.

Anno 1601. vertente, MAURITIUS castra ad *Silvam Ducis* moverat, urbem opere non magis, quam paludibus munitam. In qua oppugnanda licet multum operæ ac laboris impenderet, adventante tamen ALBERTI milite, ac gelu etiam & frigore, quod inciderat, rem multo difficiliorem reddente, coactus est obsidionem solvere (a). Quæ sine dubio eudendi huius nummi sequenti anno fuit occasio. *V. L. p. 545.*

## XXVIII.

col. 2436. seqq.

Tab.  
XXXVIII.

a



Tab.  
XXXVIII.

XXVIII.

Hic nummus plane cum præcedenti convenit, quod ad perigraphen & figuras attinet. Solus annus excipiendus, qui in nostro nummo 1603. est. Eadem quoque est occasio; Princeps enim MAURITIUS, iterum tentaverat *Silva Ducis* obsidionem, at eodem, quo antea, id est nullo successu. Cum enim Archiduci forti præsidio munire urbem obtigisset, & hiems interim appropinquaret, MAURITIUS denuo obsidionem solvere consilium capiens, exercitum hiematum duxit (a). *Ib. T. II. p. 8.*

XXIX.

ALBERTVS. ET ISABELLA. D: *ei gratia.* Scutum, Archiducis insignia referens, corona tectum.

TEMPORE. ET. LOCO. 1603. Cancer, quem duæ manus e nubibus protensæ, & singulis coronis obtectæ, demissa in eum gravi machina, e catena pendente, conterere conantur.

Apparet ex hoc nummo spes ALBERTI de capienda tandem per SPINOLÆ peritiam, qui, fratris sui mortem ulturus, in castra ALBERTI venerat (b), *Ostenda*, quæ tantum negotii Hispanis, fortissime scilicet a præsidio Batavo defensâ, facessiverat, & tanto iam steterat impendio. Cancer ergo ipsius urbis symbolum est, ut ad hunc nummum BIZOTUS observat (c), cui ALBERTUS exitium minatur. *Ib. p. 9.*

(a) Idem T. VI. col. 2757. seqq.  
(b) Vid. eosd. Annal. col. 2739.

XXX.

PROLES  
PHILIP-  
PI II.

Ara quatuor graduum columnis instructa, & hemisphærico tecta, in qua SS. EUCHARISTIA, vasculo, stylobatæ imposito, inclusa, quam *monstrantiam* seu *ostensorium* vocamus, reposita est. Superius monogramma nominis IHSU, IHS. apparet, & ad latera inscriptio: .PIETATI. PRINCIPVM. in imo: .s. ocietas (vel *s. ocietatis*) I. esu.

Aversa sequenti inscriptione exarata est: M. emoria s. acrum ALBERTVS. ET. ISABELLA. AVSTRII. PII. FELICES. PP. (*Patres*) PATRIÆ SOCIETATI. IESV. PP. (*posuerunt*) CIOICCVI.

Primo statim imperii sui anno liberalitatis signa dederunt RR. Patribus Societatis IESU novi Principes ALBERTVS & ISABELLA; cum ipsis ædificandum *Bruxellis* curarent templum, celeberrimis Europæ templis structuræ splendore facile comparandum.

Die XXIII. Iunii anno 1600. ipsi Principes, sperantes fore, ut ædificium sexto post anno, adeoque 1606. quem nummus præfert, absolverent, primum posuere lapidem, atque in perpetuam rei memoriam sub eodem hoc numisma locarunt, quod fieri nimirum in novis solet ædificiis. *M. Imp. e. V. L. T. I. p. 532. ubi hæc fusius refert.*

XXXI.

ALBERTVS. ET. ELISABET. *ha* DEI. GRATIA. Capita Principum ut num. XXIV. Ex hac imperfecta perigraphæ facile intelli-

(c) Histoire Metallique de Paysbas suppl. p. 144.



PROLES PHILIP-  
PI II. telligitur, adversæ nummi huius partem primum haud eo destinatam fuisse, ut averfæ parti, quæ mox sequitur, coniungeretur; unde denuo confirmatur id, quod sæpe inuimus: typos nummarios nonnunquam commutatos, veteresque adversas vel averfæ partes novis, & vice versa, coniunctas fuisse.

RESPIGE. FINEM. in segmento: 1607. Rex animalium, leo, coram parvo cane se demittens, eiusque latratus quasi timens.

Leo Hispanorum emblemata est, quorum Rex, una cum ALBERTO, legatos hoc anno, pacis obtinendæ causâ, misit ad Batavos, quos alioquin rebelles & seditiosos habuerat. Quod quidem ægerrime tulerunt Hispani, suoque Rege censuerunt indignissimum, haud secus ac si leo cani cederet; ALBERTUS vero cessit tempori, & *finem respexit* belli, quod sibi adhuc funestius esse posse reputabat. *V. L. T. II. p. 29.*

## XXXII.

Adversæ nummi pars eadem est, quæ prioris.

In averfâ delphinus ancoræ implicitus, eamque mordens. Additur perigraphæ: MODERATIO. 1608.

Hoc symbolum fuit apud veteres animi tranquilli, qui modum servare, qui sibi temperare poterat (a). Docet proinde nummus, quanta sint *modera-*

(a) Joh. PIERII *Valerian.* hierogl. lib. XXVII. cap. 9. Camerarii symb. cent. III. embl. 9.

(b) Instrumenta extant apud DU MONT

tionem erga Batavos usi ALBERTUS & ISABELLA, cum de pace cum iis per legatos agerent, & durissimas quasque condiciones inirent, qualis inter primas erat: Ordines fœderatos ita liberos agnoscendi, ut Archiduces deinceps neque insignibus, neque titulis earundem Provinciarum uterentur (b).

Tab. XXXVIII.

Delphinus ancoræ implicitus etiam in nummis TITI observatur. *Ibid. p. 38.*

## XXXIII.

Adversâ denuo eadem est, quæ in duobus præcedentibus nummis.

In postica duo cornua AMALTHEÆ medio caduceo alato, addito in ambitu lemmate: SAPIENTIA. DVCE, & in area hinc inde: 1609.

In nummo AUGUSTI *Cæsaris* (c) *Pacis* symbolum simili figura exprimitur, nisi quod ibi præter caduceum & duo cornua copiæ etiam dextræ iunctæ cernantur. Præfens numisma non solum Pacis, sed & *sapientie prudentieque* a Ducibus in hoc negotio adhibitæ, symbolum continet, quæ utraque caduceo indicantur.

Conservat igitur nummus memoriam induciarum XII. annorum, quas anno 1609. cum Batavis die IX. Aprilis, Regibus Franciæ & Angliæ operam suam interponentibus, Hispani fuerant *Ant-verpiæ* pacti. Laudatur Archiducum sapientia, qui vincere omnes

corps Diplomatique T. V. P. II. p. 97. & 99.

(c) Apud OISEL. Tab. LXXII. num. 3.



Tab  
XXXVIII. omnes difficultates, & per has inducias abundantiam & prosperitatem subiecto populo reddere sciverint. *Ib.* p. 46.

XXXIV.

ALBERTVS. ET. ISABELEA. D:  
*ei g. ratia.* Scutum cum insignibus Archiducum, coronatum & torque aurei velleris cinctum.

In postica ara, in qua ignis accensus & in cuius fronte legitur VOX: PIETAS. Superius trutina impendet, *aquitatis* & *iustitie* symbolum, infra globus terrestris cum caduceo, *prudentie*, & gubernaculo navis, *providentie* tesseris, collocata sunt. Quæ emblemata indicant: Orbem Belgicum ab Archiducibus, pietate, æquitate, prudentia atque providentia gubernari, unde FELICITAS quidem SECVLI, quæ verba in peripheria calculi leguntur, petenda est.

Id quod Archiduces egregie præstiterunt; otio namque Belgio per dictas XII. annorum inducias reddito, nihil prius, nihilque antiquius habuerunt, quam ut rempublicam optime constituerent. Hinc ut Religio Catholica & firmaretur, & incrementum acciperet, templa diruta restaurarunt, &, quæ damnum fuerunt passâ, repararunt. Magnam præterea curam iustitiæ restituendæ gessit ALBERTUS: consultis viris, iuris peritissimis, fora reformavit; litium brevi tempore absolvenda-

TOM. II. P. I.

(a) Hist. Archiduc. *Albert.* p. 353. seqq.  
(b) Data opera Cl. MENKENIUS. Et nuper demum prodiit: *de vetustate & forma Monogrammatum sanctissimi nominis IESU*

rum methodum introduxit; in<sup>PROLES PHILIPPI II.</sup> singulares urbium consuetudines & leges inquiri iussit, ut distinguerentur veræ a falsis, ab inutilibus utiles (a). Proinde omnino meruit, ut hæc pietas & iustitiæ amor, tanquam fons & origo omnis *felicitatis*, calculo hoc immortalitati consecraretur. *Ib.* p. 66.

XXXV.

Adversa huius nummi, seu calculi pars cum præcedenti congruit.

In averfa dextræ iunctæ, amplectentes caduceum alatum, *Pacis* symbolum, qualem in nummo quodam AUGUSTI *Cæsaris* reperiri, supra innuimus, positum super altari, in quo ignis ardet, & cuius frons præfert monogramma nominis CHRISTI, quo de multi commentati sunt (b). In ambitu perigraphæ: FELICITAS ÆTERNA: & in area hinc inde legitur annus epochæ Christianæ: 1611.

Cum Belgium Hispanicum hoc tempore pace, atque profunda quiete frueretur, Archiduces propositum augendi pro viribus Divini cultus pie atque strenue profecuti sunt. Quocirca *Bruxellis* primum lapidem magnificæ Ecclesiæ *Augustinianorum*, nec non *Carmelitarum Discalceatorum*, aliorumque templorum posuerunt. *Mechliniæ* RR. Patribus S. I. palatium CAROLI Imperatoris: *Canonicis Cathedralis Ecclesiæ*, quæ *Antverpiæ* est, plura latifundia

A a dono

*Dissert. antiquis emblematis, non antea vulgatis, ex Museo Victorio referta.*



PROLES  
PHILIP-  
PI II.

a dono dederunt, aliaque ad con-  
servandum & promovendum  
Numinis cultum egregia edide-  
runt liberalitatis adversus Cle-  
rum documenta (a). Quæ  
proinde huic calculo occasionem  
dederunt, in quo scilicet pieta-  
tis, atque pro vera Religione  
tuenda ardoris, symbola appa-  
rent, post quæ *eterna* tandem  
*felicitas* sequetur. *Ib. p. 74.*

## XXXVI.

ALBERTVS. ET. ISABELLA. D:  
*ei G. ratia.* Capita Archiducum  
adversa, ut num. XXI.

In postica aquila sceptro infi-  
stens, e quo trutina pendet,  
addito in periphæria lemmate:  
ÆQVA. POTENTIA, & in area  
hinc inde 1612.

b Si Clar. Dom. VAN LOON  
credendum, ab urbe *Aquisgra-*  
*nensi* repetenda huius nummi oc-  
casio. In qua cum diu lites vi-  
guissent Protestantes inter & Ca-  
tholicos, atque illis exercitium  
Religionis interdictum fuisset,  
hoc tam iniquum ipsis & into-  
lerandum videbatur, ut freti  
auxilio Principum, qui sibi Du-  
catum *Iuliacensem* & *Cliuensem*  
vindicauerant, curia, portis,  
& tota urbe vi potirentur, at-  
que pro arbitrio hinc res civi-  
tatis constituerent (b). Quam-  
obrem, cum & incassum fuisset  
adhibita opera Electoris Co-  
loniensis & Archiducum, qui  
pacem restituere adlaborabant  
c (c), proscripti iterum Protestan-  
tes fuerunt ab Imp. RUDOLPHO,  
atque executio Archiducibus,

(a) Hist. de l'Archiduc. ALBERT. p. 357.  
(b) Le VASSOR hist. de LOUIS XIII. T. I.  
p. 183.

cum Episcopo Leodiensi, deman-  
data (d), morte tamen Impera-  
toris aliquamdiu impedita. Quod  
quidem cum honori duceretur  
ALBERTO, in rei memoriam  
calculus hic percussus dicitur.

Nobis potius videtur, hoc  
symbolo generatim ad *equitatem*  
& *iustitiam* Archiducum adludi,  
quibus Belgium tum regebant.  
Sceptrum regiminis certe tessera  
est, & bilanx ubique, ac præ-  
cipue etiam in antiquis nummis  
*equitati* seu *iustitie* attribuitur:  
cui quidem interpretationi peri-  
graphe quoque ex amussi respon-  
det. *Ib. p. 78.*

## XXXVII.

Anterior huius calculi pars  
cum num. XXXIV. congruit.

Posterior aram exhibet, *Re-*  
*ligionis* symbolum. In ea ignis  
ardet, quem vehemens ventus,  
tantum abest, ut extinguat, ut  
potius magis excitet, viresque  
suppeditet, addito lemmate:  
\* TANDEM \* RESURGET \* subtus  
annus epochæ Christianæ: 1613.  
legitur.

Cum RUDOLPHUS Cæsar obi-  
isset, executio urbis Aquisgra-  
nensis Archiducibus & ERNE-  
STO Episcopo Leodiensi com-  
missa, a Duce *Bipontino* Tuto-  
re Electoris Palatini, qui tum  
annis minor erat, impedita fuit.  
Is enim auctoritate Vicarii in  
terris Rhenanis usus, sententi-  
am ab Imperatore contra Pro-  
testantes, & magistratum A-  
quisgranensium latam, irritam  
declaravit. Quod cum male  
habe-

(c) Merc. Gall. 1611. T. II. p. 232.  
(d) Le VASSOR l. c. p. 570.

Tab.  
XXXVIII.  
d



an-  
tra-  
nod  
etur  
iam  
r.  
oc  
tm  
ndi,  
ant.  
era  
rz-  
nis  
ur:  
ri-  
on.

ous

Re.  
nis  
us,  
t  
que  
e :  
tus  
3.

i-  
a-  
r-  
v-  
n  
t  
i  
-  
-  
n  
e